





1. Wittenbergensis theologiae facultatis
refutatio libelli Calviniani
de Coena Domini, Wittenb.
1597.
2. Gernerii s. Salom. s. Diss. de
reliquijs s. Matris Ecclesiae
Romanae, Wittenb. 1597.
3. Diss. de uno et
trino Deo, Wittenb. 1593.
4. Lelij s. Laur. s. theses de
sacramento Coenae Domini,
Wittenb. 1596.
5. Runzj s. Dav. s. Diss. et Epist.
pauli ad Romanos Wittenb.
1596.
- a.
7.

ORATIO

DE

REALI CORPO-

RIS ET SANGVINIS CHRI-

sti, in Sacrosancta Coena,
praesentia.

SCRIPTA ET IN INCLYTA


WITEBERGENSIUM ACADEMIA PV-

blicè q. Calend. Novemb. habita

M. IACOBO MARTINI,
Halberst. Sax.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno M. D. XCVI.


REVERENDO MA-
GNIFICO, STRENVO ET NOBI-
lissimo Viro, D. IOHANNI LÖSER, Archimar-
schal. Electoratus Saxoniae, & Præposito
Naumburgensi, patrono observa-
vando

*Orationem hanc consecrat, dedicat,
offeri auctor,*



RE
WI

R
orat
DN
sent
prop
scul
naq
Chr
in b
qui
pra
Et
don
D.
den
fac
tan
dex
m



RECTOR ACADEMIÆ
WITEBERGENSIS DAVID RUNGIUS
Sacrosanctæ Theologiæ Doctor & Profes-
sor publicus.

Recitaturus est hodiè hora duodecima virtu-
te & doctrina ornatissimus vir Magister
IACOBUS MARTINI Halberstadiensis
orationem de vera ac reali corporis & sanguinis
DN. Nostri Iesu Christi in cœna sacrosancta pra-
sentia. Praclarum verò & salutare institutum ac
propositum: & ad quod frequentandum atque au-
scultandum adesse par est omnes, qui cœlestis eter-
naq; veritatis ac sapientia interpreti DN. N. Iesu
Christo nomina ex animo dederunt. Valeant enim
in hac caussa schemata, tropi, & figura sophistica:
quibus Satana instinctu imaginaria & umbratica
praesentia corporis & sanguinis Christi mirificis pi-
eta fucis Cœna dominica affingitur. Vigeat autem,
dominetur et triumphet invicta verborum veritas
D. N. I. Christi: à qua digito minimo non disce-
dentes, quemadmodum filium Dei vere hominem
factum esse, carne passum, in cruce mortuum, in vi-
tam rediisse, ad cœlum conscendisse, & nunc sedere è
dextris Patris omnipotentis fide persuasum habe-
mus: ad modum eundem, contra intelligentia nostra
sciem,

aciem, corpus & sanguinem Iesu Christi verè &
reipsa in Cœna de ipsius institutione distribui reli-
giosè credamus. Credamus inquam piè, non curio-
sè scrutemur extra verbum, quomodo exhibeantur;
& ad consecutiones adversariorum impias & irre-
ligiosas cœlestium aures obturemus:
& si creophagi appellitemur & hamatopota, subji-
ciamus animis nostris, incesta convivia, infantem
farre contactum, & sacra sacrilegijs omnibus tur-
piora: quæ Christianis olim à suis adversarijs sunt
objecta. Verùm hæc atq; huius generis alia copiosè
tum explicantur alibi, tum refutantur: & satius
fuerit eadem è re presenti atq; ex oratione M. Mar-
tini, quantum temporis ratio feret, cognoscere. Ad
cujus auscultationem ut studiosi frequentes conve-
niant, etiam atq; etiam censemus. P. P. XX. do-
minica Trinitatis.

ORA:

O R A T I O

Vomnibus temporibus, Magnifice Domine Rector,
 Viri Reverendi & Excellentissimi, reliquorumq; Do-
 ctorum & Magistrorum omnium virtutum, doctri-
 naq; genere insignitorum senatus amplissime, nec
 non nobilissima, ingeniosissima, cultissimaq; Studio-
 rum corona ut omnibus, inquam, temporibus; ita & hoc nostro
 seculo per duplex medium verbum & sacramenta ex genere nostro
 æternam tibi colligit Ecclesiam Præpotens & misericors Deus.
 Illud enim est lucerna pedum nostrorum, veram viam monstrans
 agnitionis Dei, naturæ, ob summam tenebrarum, quibus animus
 humanus succumbit, caliginem, planè incognitam. Etenim cum
 homo inobediens factus, & prævaricator Legem violasset, imaginè
 Dei in iustitia, sanctitate, veritate, agnitioneq; veri Dei consistentem,
 amisisset, viresq; sanctè agendi perdidisset, conscientiaë stimulis agi-
 tatus, pudore suffusus, suo ipsius iudicio, malo adjudicatur, cognitaq;
 nuditate sua non de remedio salutari, causam metus pudorisq; tol-
 lente est, nec quidem esse potest sollicitus: Sed de perizomatis &
 ineptissimis tegumentis cogitat: arreptis ficulneis folijs præcutis,
 cutemq; lædentibus, ijsq; consutis sese regit, nec tuto satis: sed etiã
 se abscondit, Deiq; opt. max. conspectum fugit, seq; plane à Deo
 avulsum facto ipso ostendit. Hic Deus amore suo erga peccatorem
 ardentissimo permotus, de salute perditæ & jam damnatæ cogitat, la-
 tentem quærit, quæsitum invenit, a malo liberat, & secum vicissim
 unit. Hic amor summus, hæc misericordia profunda, hæc *ἔλεος*
ἰστορίας ineffabilis hoc verbo per Filium prolato proponitur, ipseq;
 Filius ut mundo Salvator promittitur, sic etiam missus & pro totius
 mundi peccatis mortuus, gratuitam peccatorum remissionem, iusti-
 tiam vitamq; omnibus promeritus, fide promissionem hanc am-
 plexantes hæreditati amissæ restituere annunciat.

Verum cum in vitâ hac perfectio nulla sit, sed imbecillitas ma-
 xima, & peccatum in membris nostris robustum, infirmior fides
 fulcris & alimento cottidiano indiget, ut ita cottidiè homo magis
 magisq; interior & novus efficiatur, novisq; viribus induatur, Deus
 itaq; verbum Sacramentis, signis in oculos ipsos incurrentibus ve-
 stare voluit, quibus nos juvet, fidem gignat, obsignet & confirmet.
 Quantum verò referat, Ecclesiam hæc duo media salva integra
 & incorrupta habere, intelligens Diabolus, omnibus temporibus

Phanatica ingenia, quæ illorum auctoritatem infringere & labefacere conarentur, excitavit. Statim enim in Ecclesia patrum posteriori doctrinam de tribus personis Divinitatis corruperunt, prodigiosam & monstruosam Deorum fingentes multitudinem: Sacrificia ad impios & horribiles usus transtulerunt, mactationes hominum stabilientes, & adorationem ignis Persici introducentes. Idem accidit post Apostolorum tempora Pontificijs, qui sua somnia detestanda, spectacula damnanda, traditiones execrandas Verbi I E H O V Æ auctoritati anteposuerunt, & doctrinam de Sacramentis, præcipue vero de Sacrosancta Cœna corruperunt. At hisce postremis temporibus Diabolus decuplo vehementius & rabiosius furit, grassatur, insidiatur per Stenckfeldianos, Cinglianos, Calvinianos & similia organa, & verbum divinum & Sacramenta simul tollere ex Ecclesia studiosè & callidè elaborans. Stenckfeldius enim efficaciam verbi Divini, seu publici ministerij, in quo verbum hoc sonat, tollit, Enthusiasmos seu raptus violentos expectandos fingens: Cinglius, Calvinus & alij hujus farinae homines præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna negant, nullam nisi spirituales manducatione agnoscunt: hinc tot tetrae, tot flagitiosæ cum summâ audacia, summâ acrimoniâ, maledicentiâ, contumelia, importunitate & denique violento livore conjunctæ oriuntur concertationes, contentiones, rixæ, odia. Quocirca P. C. Quirites nobiliss. & corona studiosorum doctissima, ut contra hæc ignita Diaboli hostis Ecclesiæ infensissimi tela mentes præmunitas habeamus, non alienum vel à me, vel ab hoc loco, vel tempore facturum me esse confido, si non quidem de omnibus illis controversijs, sed de reali tantum corporis & sanguinis Christi Domini in Sacra Cœna præsentia, verba fecero.

Duæ autem sunt res, quæ me vehementer initio perturbant, & à dicendo ferè abstrahunt: Ingenij videlicet tenuitas, & rei de quâ dicturus sum magnificentia. Locus n: hic licet ad dicendum amplissim^o mihi semper sit visus, omniq; liberali exercitatione dignissim^o & aptissimus; tamen quando præteriti temporis spacium recordor, & omnes memoriâ dies antecedentes repeto, & viros auctoritate graves, & juvenes summâ eruditione & facundia præditos video in hoc loco semper fuisse constitutos, qui & magno ingenij acumine, & suavissimo dicendi flumine res oratione dignas prudenter explicare, eleganter illustrare & graviter commendare potuerunt, quibus ego in minimo non sum comparandus. Vereor itaq; ne temerarius, ei gloriæ cupidus quibusdam videar, quod ego in dicen-

do pa-

Non parum exercitatus hujus loci contingere sim ausus auctoritatem.
 Accedit & rei, quam tractandam suscepi dignitas, præstantia & dit-
 ficultas, de quâ melius esset tacere, quàm frigide pauca dicere. Quo-
 circa & hic ingens timor animum occupat, ne forsan in suspensionem
 ineptæ aut stultæ audaciæ vocer, quod id alijs proponere suscepe-
 rim, cujus vix umbram in me quisquam possit deprehendere, atq;
 ita forsan eam rem, quæ ut recte exponatur oratoris disertissimi &
 Theologi exercitatissimi requirit copias, tenuitate meæ orationis
 non tam claram, quam obscuram sim redditurus. Verum enim ve-
 ro me præceptorum nostrorum virorum excellentissimorum, nec
 non commilitonum optimorum erigit æquitas, benignitas & boni-
 tas, optimè qui norunt, me neq; ingenij ostentatione, neq; æstu glo-
 riæ abreptum, hanc conscendisse cathedram. Quocirca sicut beni-
 gnas hætenus magnis & eruditis viris, graviter gravibus de rebus
 dicentibus præbuitis aures; ita & me quoq; in materiâ hæc admo-
 dum difficili verba facientem æquo animo, æquitatem vestram ma-
 ximè quod decet, audire dignemini. Quod si mihi à vobis tribui
 concediq; sentiam, juvante Domino evidentissimis & perspicuis
 ostendam rationibus CHRISTVM secundum humanam natu- *Propositio*
 ram verè & substantialiter exhiberi & præsentem esse in Coena, &
 quidem eo ipso corpore, quod ex Mariâ virgine assumpsit, quo fuit in
 Præsepi, in cruce, in sepulchro. Sic enim initio vos statuatis velim, *Confirma-*
 in omnibus scriptis Prophetis & Apostolicis, in quantum fieri po- *tio ab E-*
 test semper τὸ ἕκτομ, hoc est, verbum sicut sonat esse retinendum, atq; *tymologia.*
 id vel maxime, ubi aliquam doctrinam ut in propriâ & ordinariâ
 sede traditam patefactam & fundatam intelligimus. Si enim illis
 in locis à simplici, nativa & usitata verborum significatione discesseri-
 mus, nullum dogma certum & firmum permanebit. Alias vero nõ
 inficias imus extare in scriptura loca quædam & difficilia & obscu-
 ra, in quibus si τὸ ἕκτομ ἀντιλογίαν inferre videatur, liberè à verbis
 discedi potest ad διανοίαν, quam vel ex genere sermonis, vel ex sum-
 mâ doctrinæ cœlestis, vel ex aliorum testimoniorum collatione pe-
 tere cogamur. Non enim scriptura est ἰδίᾳ ἐπιλύσεως & privatae *2. Pet. 1.*
 interpretationis; Christi q; exemplum hic meritò imitandum nobis *vers. 20.*
 proponamus, qui privatim parabolas suas & similitudines Disci- *Marci 4.*
 pulis exponerebat, quiq; postmodum mandante Domino, quod for- *vers. 34.*
 san in concionibus Christi obscurum remanserat, explicarunt. τὸ
 ἕκτομ quidem in verbis Cœnæ pugnat cum ratione: Duo enim cor- *lib. 4.*
 pora, docet Philosophus, simul esse nequeunt. Si enim duo corpo- *ra si-*

Phys. cont.
53.

2. Metaph.
cap. 1.

ra simul essent, etiam quocumq; simul & in eodem esse possent; cum nulla ratio sit, cur duo simul esse possint corpora, & non etiam quam plurima. Si autem hoc statuatur, minimum intervallum maximæ Quantitatis erit capax, cum multa parva magnum aliquod constituant, & quod infinitorum quasi parvorum est capax, id etiam maximi alicujus sit capax. Sed transeat hæc trutina, valeat hæc norma in tanto hoc mysterio explicando declarandoq;. Si enim verum est illud Philosophi: Quemadmodum, inquit, se habent vesperilionum oculi ad lucem meridianam; ita intellectus noster ad ea, quæ naturâ sunt manifestissima: certè omninò cæcus erit, nihilq; intelliget in ijs, quæ longè supra naturam longè supra intellectum, longè supra mentem & captum humanum sunt posita. Etenim ille Deus, qui naturam condidit, ad naturales actiones non est alligatus: Ille Deus, qui ignem ut ureret, creavit, hanc eandem actionem impedivit: ille Deus, qui ut ex Maris & Fæminæ commixtione oriretur infans, ordinavit, ex purâ virgine absque virili semine Dominum ac salvatorem nostrum Iesum Christum Deum & hominem nasci voluit. Quid itaq; impediet, quo minus verum corpus, verumq; sanguinem Iuum in Sacra Cœna edendum & bibendum, non quidem Physico modo, sed supernaturali, sacramentali & planè mystico, secundum institutionis & promissionis verba (Accipite hoc est corpus meum; Bibite hic est sanguis meus) traderet? Transeat itaq;, transeat, inquam, hæc adulterina norma; valeant isti rationis *ἡαλογοισμοί*. Scriptura audiatur. Nam ad legem & ad testimonium, qui non dixerit secundum verbum hoc, non erit ei matutina lux.

Matth. 28.

In Symboli Apostolici articulo primo profiteamur Deum patrem omnipotentem. Quemadmodum autem Pater omnipotens est: ita & filius: atq;, hoc non secundum divinam tantum; sed etiam humanam naturam, quippe cui data est omnis potestas in coelo & in terrâ, & omnia illi à patre tradita sunt Matth. 11. Et Act. 10. vers. 38. virtus edendi miracula tribuitur Christo, quâ homo est. Non itaq; hoc de potentiâ quadam quæ efficaciter agere & operari nequeat, sed quæ omnia quæcumq; velit, virtute sua perficiat actu, & opere præster. Blasphemum enim Blasphemum, inquam, vanum, & omnibus modis execrandum est discrimen, quod nonnulli hac in re, hac nostra tempestate excogitarunt distinguentes *πᾶσιν ἐξουσίαις* à *πᾶσιν δυνάμει*. Nam nonne Deus negabitur Iehova verus, qui potestatem aliquid faciendi habeat, quod per potentiam facere nequeat,

queat
riæ l
Etora
rentia
citan
VS,
quan
omn
nom
nom
hanc
libu
cont
evin
seipl
quo
firm
mu
virt
mo
cert
por
ful
tus
bra
ber
fid
fac
&
in
dis
de
ab
bu
se
V
&
fu
va

queat, cum sententia hæc nihil aliud sit, quam infinitæ omnipoten-
 tiæ liberrimè agentis negatio? O cæcas hominum mentes! ò pe-
 ctora cæca! Apostolus Paulus ad Eph. 1. cap. v. 19. 20. & 21. Po-
 tentiam excellentem, roboreq; fortissimo efficacem, quam in sus-
 citando Christo & ad dextram suam collocando exercuerit DE-
 VS, appellat, Christumq; ad dextram DEI, quæ nihil aliud est,
 quam infinita illa Iehovæ omnipotentia collocatum, longe super
 omnem principatum, potestatem, virtutem, Dominum, imo super
 nomen omne, quod non solum in seculo hoc, verum etiam futuro
 nominari possit, euectum testatur. Vnde manifestum est, DEI
 hanc potentiam non admittere divisionem quæ in rebus natura-
 libus vix ἀπλῶς & simpliciter admittenda fuerit. Nec quicquam
 contra nos valet, quod hic, quæ DEV M aliquid facere non posse
 evincunt, obijciantur, quale illud est Post. ad Tim. 2. v. 13. DEVS
 seipsum negare non potest. Rectè enim respondent Orthodoxi,
 quod illa ipsa omnipotentiam divinam maxime stabiliant & con-
 firment, cum ejus immobilitatem absolutam, constantiamq; im-
 mutabilem concernant & ostendant, quæ esse non posset, si finitâ
 virtute DEVS finiretur. Quin etiam ipse Apostolus hoc in loco im-
 motam Iehovæ constantiam, fidemq; minimè dubiam innuit, quâ
 certò sit facturus, quod promiserit, nostræq; incredulitati eam op-
 ponit. Vnde rectè omnipotentia dicitur & est firmissimum fidei
 fulcrum, cui se fides tuto committere potest, cum tanta hæc sit vir- Gen. 17.
 tus, ut nihil sit, quod non possit, modo velit. Hinc DEVS cum A- v. 3.
 brahamo pactum icturus omnipotentem sese appellat: et Isaacus Gen. 28.
 benedicens Jacobo in nomine Iehovæ, Domini omnipotentia, ut v. 3.
 fidem eius firmet, certamq; reddat spem, facit mentionem. Idem Gen. 48.
 facit Jacobus benedicturus Iosepho. Et semper Abrahamo, Isaaco v. 3.
 & Jacobo apparuit Iehova in DEO omnipotente. Quocirca Pius Exod. 6.
 in omnibus certaminibus, dubitationibus, tentationibus, si nempe v. 3.
 difficile quid verbo DEI promittatur, oculos in Omnipotentiam
 dejiciat, Abrahamumq; omnium credentium Patrem, & Mariam Lucæ. 1.
 ab Angelo audientem, apud DEV M impossibile esse nullum ver- v. 33.
 bum, imitetur. Hoc quando & nos in arduo hoc negotio facimus,
 seposito omni rationis præjudicio, certo concludere cogimur:
 Verba hæc institutionis non per fictam & pictam quandam δόξαν
 & tropum nullibi in sacris expressum, sed ut sonant, intelligenda,
 sumenda & explicanda esse. Intueamur dulcissimam omnium E-
 vangelistarum harmoniam, & admirandum certissimumq; habebi-
 mus

B

mus

lib. 3. cap. 24. et 39. item lib. 5. cap. 10. 1. Cor. 10. & 11.

mus consensum, omnesq; quasi ex uno ore loqui audiemus. Quæ enim Matthæus, utpote qui primus post Christi Domini ascensionem excitatus, Evangelium suum conscripsit, ut auctor est Eusebius, de arcono hoc negocio Hebræis ad Gentes prædicatum proficiscens, reliquit, eadem & penè iisdem verbis Marcus & Lucas repetunt: & præterea ipse Apostolus Paulus evidenti consensu eadem scribit Corinthæis.

1. Cor. 10. & 11.

Mirifice quoq; sententiam hanc nostram, mensæ hujus denominatio & inscriptio, quæ κατ' ἑξοχὴν Mensa dominica appellatur, confirmare viderur. Quemadmodum enim in quadam mensa conuivij Regij assidentes subditi non humiliter in panem, in poculū & similia intenti sunt; Sed potius Regem præsentē intuentur, appositas regias lautitias, communem cibum, vulgarem potum longe superantes, suspiciunt, atque ita sublima meditantur, cogitant, observant, annotant, Itaq; cum Messias, Iehova Exercituum faciat convivium pinguium, convivium defecatorum, pinguium medullatorum, defecatorum purgatorum, propter apparatus excellentissimum, propter hospitem sanctissimum præsentem, propter corpus vivificum, propter sanguinem divinum, cum pane & vino apposita, & verè προκειµένα, non humili mente, sed animo excelso adventemus, humiliaque videntes, fide ad æstimationem rerum cœlestium simul appositarum assurgamus. Sic Apostolus Paulus suos Corinthæos à vulgaribus ad mystica, ab humilibus ad eximia, à terrenis ad cœlestia conscendere jubet, quando 1. Cor. 10. v. 21. (ubi Mensæ Domini extat appellatio) peritos compellat, ut de pane & vino in Mensa Domini appositis judicent: Nonne inquit poculum benedictionis, cui benedicimus κοινωνία est Sanguinis Christi? nonne panis, quem frangimus communicatio est corporis Christi? Et statim capite sequenti, non discernentibus corpus Domini gravissimè minatur: quo iudicium exactè & discretè cum pane & vino sive poculo, rebus terrenis excellentiores, corpus nempe et sanguinem Domini pro dignitate sua pensitans æstimansque, expresse requirit. Qui itaque hoc iudicio destituti, & tantum humilia sectantes, sublimia non intuentur, corpus & sanguinem Domini, cœlestia illa προκειµένα in Mensa Domini jacentia haud dignè suscipiunt.

Esaiæ 25. v. 6.

vers. 29.

Hoc respexit Orthodoxa antiquitas, quæ in Synodo Nicæna hunc fecit Canonem: ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης μὴ τῶν προκειµένων ἄστρον καὶ τῶ ποτηρίῳ ταπεινῶς προεἰχόμενῳ, ἀλλ' ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν

πιστ

πιστι νοήσαντες, καὶ ἐπὶ τῆς ἁγίας ἐκείνης τραπέζης τὸ ἄμνον τῶ θεῶ, ἔγοντα τὸ ἀμαρτῖαν τῶ κόσμου. In hac divina mensa non in propositum panem & poculum humiliter intenti simus, sed mentem elevantes, sursum ferentes, fide cognoscamus, jacere in sacra illa mensa **AGNUM ILLUM DEI QUI TOLLIT PECCATA MUNDI.**

Non autem in aureo hoc & verè sancto piæ vetustatis testimonio nos turbet moveatve locutio, quod mens sit elevanda & sursum ferenda, quasi Christus neutiquam realiter corpore & sanguine suo in Mensa, ubi sacra cæna dispensatur, præsens sit: Verùm potius fide sursum in cælum nobis avolandum sit, atq; ibi sanguine & carne verè vivifica spiritualiter fruendum. Hæc enim interpretatio prorsus aliena est à sententiâ Canonis, imò tota huic contraria & opposita. Siquidem sublimiores cogitationes, quæ sunt fidei, efflagitat, qua non tantum credimus sursum in cælis corpore & sanguine suo esse Christum: Sed etiam una cum pane & vino in sacra illa Mensa, esse *προκειμένα*, verèque ibi jacere sanguinem & carnem Domini: Expresse enim verba volunt, mentem extollendam esse, ut cognoscamus fide agnum illum DEI, qui tollit peccata mundi, in mensa illa re vera esse & jacere.

In institutione porro annotatu dignissimum est verbum **BENEDICERE**: Sumpto enim pane **BENEDIXIT** CHRISTVS, & statim de benedictis Elementis pane & vino sigillatim ait:

HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS.

Etenim ex hoc certissimè colligimus aliquid symbolis hisce promitti præter signandi rationem. Nam neminem latet divinæ benedictionis effectus admirandos esse, sicut benedicente Domino miraculosè homines pascuntur Marci 6. & Iohan. 6. Effectus autem hic miraculosus exprimitur, quod Panis inde sit corpus & vinum sanguis.

Hoc autè non per transubstantiationè, ut Pontificij statuunt. τὸ ἕκτόν enim hic urgemus, quod CHRISTVS ipse cōmunè panem acceptū stiā post benedictionè panē probavit, quia fregit & dedit discipulis.

1. Cor. 11.
v. 26. &
27.

Sic enim: ipse Dominus visu, gustu, tactu, certissimis argumentis, de substantia panis post consecrationem remanente nos commonet. Et optimus verborum Christi interpretes Apostolus Paulus non panem in corpus mutatum esse docet; sed panis, quem frangimus, inquit, est *κοινωνία* corporis Christi, & Panem benedictum sæpius panem dicit, etiam repetito demonstrativo & ad panem adjuncto *τὸν ἄζυρον τοῦτον*. Quod etiam de vino intellectum volumus. Effecit itaq; Christus creator, ut per mirandam benedictionis suæ potentiam & efficaciam, panis esset corpus unione mysticâ & sacramentali, vinumq; esset sanguis Domini. Atq; benedictionem hanc semper repeti voluit, quando de tota actione dixit: **HOC FACITE**. Unde & Apostolus Paulus momentum hoc seridè & diligenter tanquam primarium inculcavit, quando Poculum dixit *Benedictionis*, & adjecit *cui Benedicimus*, ut nempe ostenderet, illam mandato Christi repetitam, se magnificare, & sic nobis commendaret. Imo ut Benedictionis hujus efficaciam vberius monstraret, consequens hujus stateit corporis & sanguinis Christi Domini *κοινωνία*. Et ut verbo dicam: certum est Filium DEI Legatum veracem esse, nec Stellionem, aut Præstigiatores, qui dictis contraria offerat: nec existimemus, illum Sophismatum præstigijs, aut vocum ambiguitate lusisse, maximè cum sint verba Testamenti & vltimè voluntatis, ubi etiam in politicis negocijs verba requiruntur propriissima & maximè significantia. Hoc adversarios considerare & animadvertere valde vehementerq; cupio: atq; etiam hoc alterum, quod dicturus sum, perspicere accuratius.

Gal. 3. v.
15.

Generalem DEI præsentia in Ecclesia promissionem habemus Exodi 20. Vbicunq; fecero meminisse nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi. Hic dicit IEHOVA veniam ad te, qui jam per aliquot dies Dux & Protector Israëlis adfuerat, & præsentiam suam interdium in columnâ nubis, noctu verò in columnâ ignis ostenderat. Atq; hæc promissio sive retrò præcedentia secula respicias, sive subsequenter intuearis, nullam unquam in sacris paginis demonstrare poteris exceptionem: neq; in novo Testamento desijt, quippe quæ Matthæi 18. his verbis (Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ero in medio eorum) repetita extat. Promittitur hic præsentia, & quidem in omni loco, vbi fecerit meminisse, hoc est, vbi præsentiam sui vel per verbum nudum, vel per verbum vestitum ordinariè obtulit. Quocirca per generalem illam promissionem in omni loco, in quo sint symbola sacramenti-

Sacra
eaq;
Ieho
ris. V
cum
attel
Apo
Spir

Pan
præ
ut e
Arc
lum
ad p
ibi
hib
vin
Me
oru
ana
no
oro
bu
bil
tua
gn
ne
di
m
po
be
cu
co

cu
h
D
c



Sacramentalia, ipsis symbolis responderet I E H O V Æ præsentia, eaq; realis. Vere enim Spiritus sanctus fuit in flammâ, in columba: Iehova in arca fœderis: Filius DEI in medio Ignis & Rubi ardentis. Vnde per vnionem hanc mysticam Filij DEI cum igne, Iehovæ cum arcâ, Spiritus Sancti cum flamma & columba, rectè dicimus, attestantibus & consentientibus ipsis adversarijs: Flammæ in ore Apostolorum, item columba super Christum à Baptistâ visa erat Spiritus sanctus: Arca est Rex gloriæ &c.

Quæritur nunc porro, an hæ locutiones sacramentales, Panis cœnæ est corpus Domini, vinum cœnæ est sanguis Domini, præmissis sint conformes? Quid dubitemus in re tam manifestâ? ut enim se habet columba ad personam Deitatis tertiam, ut se habet Arca ad Filium Iehovæ, & iterum Persona tertia divinitatis ad columbam, & Iehova ad arcam: ita se habet panis ad corpus, corpus ad panem: vinum ad sanguinem, & sanguis ad vinum. Etenim ut ibi columba est signum exhibitivum Spiritus Sancti: arca signum exhibitivum Iehovæ: Ita hic panis signum exhibitivum Corporis: vinum signum exhibitivum Sanguinis Domini rectè statuitur. Memoriam enim in sacramentali hac actione fecit mirabilium suorum clemens & misericors DEVS. Quæ verba Psalmi sunt quasi analysis & resolutio prioris sententiæ. Nam verbum מִן (non denotat simplicem actionem, sed inest quædam Emphasis parantis & ordinantis, quod cum primis deprehenditur, vbi verbo DEI attribuitur: ut ita non solum Deus cogitetur fecisse mentionem mirabilium, sed etiam faciendo memoriam cum admiratione fecisse statuatur. Ordinatur itaq; in hac institutione, & parat convivium magnum, facit meminisse corporis & sanguinis sui, venit ad nos, benedicit, carnem edendum, sanguinem bibendum porrigit. O benedictionem salvificam, ô præsentiam admirandam, ô profundum mysterium, sanctum convivium, suavissimum cibum, dulcissimum potum, nos ad vitam conservantem, ad vitam, inquam, æviternâ, beatissimam, sanctissimamque, vbi induti candida iusticiæ veste cum omnibus sanctis & beatis, cum Trinitate sacrosancta perpetua conversatione fruemur, à facie ad faciem, ut scriptura loquitur.

Hæc ipsa quoq; pij Patres magnâ cum pietate docuerunt, ut cum primis nervosa est doctrina Irenæi lib. 4. contra Valentini hæreses sic scribentis: Qui est à terra Panis, percipiens vocationem DEI, jam non communis est panis, sed ἐυχρηστία, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Et ut attenderent pij argumentum re-

petit. Quomodo enim, inquit, eodem loco, eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini nostri, & calicem sanguinem eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est, verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes &c. Atque hæc fuit publica & unanimes de verbo institutionis sententia Ecclesiæ, parum ab Apostolorum temporibus remota. Irenæus enim Iuvenis vidit Polycarpum senem, Iohannis Evangelistæ auditorem, & Ignatij condiscipulum, ut ipse refert lib. 3. cap. 3. Sic Iustinus Martyr præclarum explicatæ Christianæ fidei suæ ætatis edidit testimonium: Non enim, inquit, ut vulgarem panem & vulgare poculum hæc sumemus, sed quemadmodum per verbum DEI caro factus IESVS Christus Salvator noster, carnem et sanguinē pro nostra salute habuit: Sic etiam per verbum precatōnis & gratiarū actionis sacramentum ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incarnati Iesu carnem & sanguinem esse dicimus. Nam sic Apostoli in suis scriptis, quæ vocantur Evangelia, tradiderunt, sumpto pane, gratijsque actis dixisse Christum, hoc est corpus meum. Idem statuit Tertullianus, quando lib. 4. adversus Marcionem ita scribit: Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illud fecit. Et paulo post: Ita & sanguinem suum in vino consecravit. Idem docuerunt Cyprianus Theodoretus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus & alij; hancque suam sententiam illustrarunt similitudine à copulatione duarum naturarum in Persona τὸ λόγος sumpta. Quemadmodū enim, inquit, in Christo sunt duæ naturæ, diuina & humana, quæ æterno & indissolubili fœdere copulatæ sunt, ut unam constituent personam & ὕψιστόμενον; ita tamen ut nulla fiat naturæ mutatio, vel divinæ in humanam, vel humanæ in divinam: Sic integra cœnæ actione, ut est à Christo instituta, sit copulatio corporis Christi cum pane, ut unum sacramentum constituent corpus & panis, ita tamen, ut panis substantia non mutetur, nec substantia corporis. Et addunt eatenus congruere similitudinem hanc, quatenus duæ naturæ in Filio DEI integræ & non mutatæ sunt copulatæ in persona τὸ λόγος. Dissimilitudo enim maxima oritur, si descendas ad indissolubilem duarum naturarum unionem, & quâ duæ hæ naturæ unum constituent ὕψιστόμενον. Unio enim illa in omnem omnino æviterinitatē duratura est, panis autem & corporis copulatio tantum in usu est, ubi nempe comeditur & bibitur. Expresse enim
Christus

Christus
inde c
tum in
ralis,
sangu
avola
quod
quo ex
tera p
sed on
expli
absur
soston
lum,
temp
voler
gij, se
cet cu
sangu
vim
4. sc
ubi a
strua
conf
nibu
DEC
ris,
suis
serm
quo
Don
nera
tant
ran
con
cor
secc



Christus: Accipite, inquit, comedite, hoc est corpus meum. De-
 inde corpus Domini cum pane non constituit ὑψίσταμενον; sed tan-
 tum in coenae integrâ actione est copulatio panis et corporis Christi
 talis, ut percipiens panem & vinum, simul percipiat corpus &
 sanguinem Christi verè & substantialiter, non tantum fide in cœlū
 avolante: Sed etiam ore hīc in terris. Accipite inquit, comedite,
 quod non de fide, sed de ore rectè intelligitur: panis enim cum
 quo exhibetur corpus Christi, ore, & non fide accipitur. Item in al-
 tera parte subiungit; BIBITE. Bibimus autem certè non fide,
 sed ore: Si enim Bibere idem esset, quod credere, dicendum &
 explicandum foret hoc modo: Credite ex poculo: Quid autem
 absurdus, quid inconvenientius? Benè hic notanda est Chry-
 sostomi exclamatio, quam habet lib. 3. de sacerdotio: O miracu-
 lum, ô DEI benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso
 temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipsum tradit
 volentibus ipsum accipere & amplecti! Fit autem id nullis præsti-
 gijs, sed apertis ac circūspicientibus circūstantium oculis, quia scilicet
 cum illis rebus, quæ videntur, simul adesse creditur corpus &
 sanguis Christi. Et memorabile est, quod Ambrosius, exponens
 vim benedictionis Christi in sacramento lib. 4. de sacramentis cap.
 4. scribit: Panis est in altari usitatus ante verba Sacramentorum,
 ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur ad-
 struamus: quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi?
 consecratione. Consecratio autem quibus verbis est & cuius sermo-
 nibus? Domini IESU. Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus
 DEO defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæte-
 ris, ubi venit ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non
 suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermone Christi. Ergo Christi
 sermo hoc conficit Sacramentum, Quis sermo Christi? Nempe is
 quo facta sunt omnia. Iussit Dominus & factum est cœlum: iussit
 Dominus, & facta est terra; iussit Dominus, & omnis creatura ge-
 nerata est. Vides igitur quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo
 tanta vis in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non e-
 rant, quanto magis operatorius est, ut sint qui erant, & in illud
 commutentur, & sic quod erat panis ante consecrationem, jam
 corpus Christi est post consecrationem. Et iterum: Antequam cō-
 secratur Panis, panis est, ubi autem verba Christi accesserint, corpus
 est erant.

Notetur
 μεταστροφῆς
 refutatio.

Hic iterū
 venit no-
 tenda

Phrasis:

sic, n. sta-
 tuunt com-
 mutationē

in aliud, ut

etiam sint
 panis &
 vinū quæ

est erant.

est Christi: & ante verba Christi calix est vini plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Eodem modo Augustinus in lib. Sententiarum Prosperi: Fideliter, inquit, fatemur ante consecrationem esse Panem & vinum, quod natura formavit, post consecrationem verò Christi carnem & sanguinem, quod benedictio consecravit.

Audivistis itaq; , auditores humanissimi, quæ nobis in Mensa Domini panis nimirum & corpus Domini mysticè & ineffabiliter conjuncta, nec non vinum & sanguis Christi itidem unita, sint proposita. Atq; hoc sensu à Christo S. cœna est instituta, hoc sensu ab Evangelistis & Apostolis verba institutionis explicata, ab orthodoxa antiquitate recepta, & semper ad hæc nostra usque tempora in Orthodoxa Ecclesia tradita.

Quid autem hic adversarij? Atra sua spicula, stercora, lixiivium, strophas, glossas, adversus fidem vetustatis, adversus admirandam corporis Christi cum pane, & sanguinis cum vino unionem pessimo spiritu, quem Christiano colore pingunt, evomunt, obijciunt, obtrudunt, inculcant, urgent: atq; hoc non ex mysterio revelato: Sed omnes suas adsertiones ex rationis lacunis & Philosophiæ fundamentis regerunt. Ut enim semper maxima Religionis sinceritati pericula fuerunt & sunt à nimis admiratoribus Philosophiæ vel rationis, quæ illi basin substernit: ita & hi magis Rationi, quàm Christi Domini sermoni innitentes, semper in Ecclesia causa extiterunt tantæ audaciæ, tantæ acrimoniæ, tantæ maledicentiæ, tantæ cõtumeliæ, tantiq; deniq; tamq; virulenti livores, ut per meam ego vitam nil unquàm nec legerim, nec audierim audacius, acerbius, maledicentius, contumeliosius, virulentius, lividius. Quæ tamen omnia in abusu rationis & Philosophiæ sunt posita. Vnde & in hyperbole sua, qua scedè Theologiam transformant, meritò reprehenduntur, & dum singularem quandam jactant eruditionem & rationem, ἀλογία ῥῶα, ut 2. Pet. 2. dicitur, fiunt.

Quocirca cum adversarijs hinc nostris versantes, iuxta præceptum Christi, Prudentes simus ut serpentes, & simplices sicut colubæ. Serpens enim est illud animal, per quod Diabolus primum apparuit hominibus: columba verò illud est, per quod Spiritus Sanctus primum est visus. Prudentiam itaq; nostram postulat DEVS Serpentum mentione, ut meminerimus, Diabolum ad seductionem Philosophantem, etiam Philosophiæ adminiculo confundendum esse. Aliàs autem in negocijs ad DEVM agendis simplicitas requiritur

Matth. 10.

lib. 8. de
Trinit.

ritur, acquiescens sine disputatione in dictis columbæ seu Spiritus Sancti. Non enim, juxta Hilarium, humano aut seculi sensu in DEI rebus loquendum, neq; per violentam atq; impudentem prædicationem dictorum cœlestium sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ perversitas est extorquenda. Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectè fidei officio fungemur.

Pessimè itaque hallucinantur Sacramentarij, horumque luculenturati, quando præter διδασκαλικὸν à Deo ipso ordinatum & usurpatum, hoc loco & vbique in Oeconomia Mysteriorum rebus naturalibus res merè Theologicas conformant, & ad Philosophicū ἔιδος species articulorum fidei constituunt. Quid autem aliud faciunt, quando proprietatem corporis Christi æstimantes, ad eum tantum modum consistere, qui Physica ratione corpori convenit, & solus rationi patescit, in doctrina hac sacrosanctæ cœnæ modū illum veri corporis unicum considerandum proponunt? Nonne hoc est terrena cum cœlestibus, humana cum divinis, mystica & abscondita cum manifestis & in omnium oculos incurrentibus miscere, pessimè confundere, turbare? nonne hic est abusus rationis, abusus Physicæ & Philosophiæ, quem neque ipsa sobria feret? Regula hæc summi Philosophi, magni Aristotelis semper vera, certa, firma, immota est: Non esse de uno genere disciplinæ in aliud argumentando transeundum. Nam, quod adolescentes ex logicis norunt, si medium non in utraque præmissarum accipiatur modo eodem, fieri quatuor terminos. Ut si eundem terminum modo Ethicè, modo Physicè, modo Metaphysicè posueris, duplicitas erit, pariens reliquorum duorum adjectione quaternitatem, et vinculum διχοτομία hæc dirumpens, quod solidum tertium esse inter duo debebat. Eodem plane modo res sese habet, si quid jam Theologico sensu posueris, mox Philosophico subsumseris, ut in hoc argumento, quando nos Christi corpus simul & semel in multis locis, ubi Sacramentum cœnæ administratur, præsens esse singulariter statuimus, & quidem sine expansione Physica, aut ullo alio infinitatis monstruosæ modo: Sed modo Christo peculiariter servato, & a Physico, qui nobis cognitus est, prorsus alio. Huic Sacramentarij alteram præmissarum solâ physica necessitate veram attexterunt, vnde transitur ab uno genere disciplinæ in aliud, & dantur quatuor termini viciosissimâ copulatione, ipsius Philosophiæ graui & sano iudicio semper rejectâ. Ut ita hic non sit necesse Philosophiam reprehendere; Sed culpam abusus Pseudophilosopho-

C

theologi

Act. 10.
Marth.
28.

theologi sustineant. Aliud enim est considerare nostra corpora
mere Physicis qualitalibus, virtutibus, facultatibusque prædita: atq;
sacrosanctam Christi Domini humanitatem intueri, quæ unctæ est
donis spiritualibus absque mensura. cui virtus & efficacia con-
cessa est miraculosè sanare ægrotos: cui data est omnis potestas in
cælo & in terra. Summa: cui essentiales proprietates Dei realiter
communicatæ sunt sine Physica confusione, abolitione, exæquati-
one.

Vt autem sartam tectam retineret suam sententiam Calvi-
nianorum Coryphæus, Beza, qua statuit, etiam sensu Theologico
verum esse, unum corpus simul & semel in pluribus locis esse non
posse: in verbis cœnæ, *HOC EST CORPUS, HIC EST SANGUIS*, tro-
pium excogitavit, illumq; cum neq; in Subiecto, neque in Prædicato
defendere posset, in copula Metonymiam adseruit. Hic, audito-
res excellentissimi, hinc, inquam, estote sapientes ut serpentes, ju-
dicare, perpendite, quomodo Senex in primis Philosophiæ prin-
cipijs hallucinetur. Omnium vestrum accurato iudicio Metonymia
πρῶτος λέξεως est. Quis autem copulam ut copulam, simpliciter
λέξι dicit? cum ut *συγκατηγορευμένῃ* æstimetur, quo modus
attributionis assumitur, cui tropus tribuatur, ut ita non duntaxat
sit *λέξεως* dictionis. Deinde hoc vobis considerandum obijcio,
quod discimus ex *περὶ ἑρμηνείας* Aristotelis. Verbum EST duplici-
ter sumitur, aut ut secundi aut ut tertij adjecti. Illud supplet vices
Prædicati: hoc saltem copulandi vim habet, Prædicatum, quod
verbum dicitur Philosopho, triplicem habet denotationem, &
consignificat tempus, & copulat, & significat Rem, de subiecto
prædicatam. Verbum vero EST tertij adjecti, priores quidem duas
sortitur significationes: tertia vero tantum subiecto relinquitur, illud
enim rem exprimit. Hinc secundo manifestum est, tropum nullum
dari in copula, cum ibi sedem habeat, ubi res posita sit. Tropus
enim est modificatio rei. Et posito, copulam quandam rei signifi-
cationem sortiri, tantum autem id habebit à suo prædicato, unde
& *προσκατηγορευμένον* vel *συγκατηγορευμένον*, quia non significat
sed adsignificat, hoc est, significationem à *κατηγορευμένῳ* habet,
Philosopho dicitur. Posito itaque tropo in copula, certe prius po-
nendus erit in Prædicato. Hoc ut pluribus demonstreretur, diligen-
ter mecum perpendite: Nonne omnes modi regulares ex ratione
prædicati & minime ex copula definiuntur? Si enim intelligam
Prædicatum esse subiecti Individui speciem, vel Individui aut
specie.

speciei Genus vel differentiam, statim iudico prædicationem
 essentialem esse, quod essentialia, seu essentiam constituentia
 prædicentur de subiecto. Si autem Prædicatum est causa cau-
 sale dico: Si accidens, accidentalem statuo. Quando
 itaque & modificatæ locutiones per troporum explicationem ad
 modos regularium reducuntur, necessario concedatur oportet,
 modum irregularem dari in illa propositionis parte, quæ redacta
 ad regularitatem proprii modi capax est, illumque recipit. Imò
 vel pueris notum est, verbum EST solum consideratum, tantum
 εἶναι vel ὑπαρξέν denotare. Longum autem discrimen est inter ἐνεσ-
 tive ὑπαρξέν καὶ τὸ πᾶν ὑπαρξέν: Si enim non re, certe ratione dif-
 ferunt. Vnde quoque satis superque colligitur falsa Bezae assertio.
 Cum enim tropus non in τῷ εἶναι, sed in modo essendi sit con-
 cedendus, neutiquam in copula, sed in prædicato locum obti-
 nebit, quo Metonymia non λέξεως sed κατηγορημάτων tropus
 statuitur. Eodem modo res se habet, si dicatur, Metonymiam neque
 in subiecto, neque in prædicato, neque in copulâ, sed χείρα prædicati
 ad subiectum esse, eodem, inquam, modo res se habet, χείρῳ enim
 est relatio unius termini ad alterum, quare non contenta erit unica
 dictione. Si itaque est tropus χείρῳ, non erit λέξεως, & si λέξεως,
 non erit χείρῳ. Taceo, quod si Metonymia hic locum haberet,
 Panis pro corpore duntaxat esset positus, corpus vero per Metony-
 miam subauditum, ut in hoc Patriarchæ: Non auferetur sceptrum
 de iuda: Sceptrum ponitur, & significatur per Metonymiam Re-
 gnum. Quando itaque dico, sceptrum est Regnum, non amplius
 metonymia est, sed tropi explicatio. Ita quando Pharaon in somno
 videt septem spicas & septem vaccas, Metonymia est, ponitur
 enim signum pro re signata: Quando autem Interpres Iosephus
 hoc modo visionem explicat: Septem aristæ sive septem spicæ
 sunt vel denotant septem annos: item septem vaccæ sunt septem
 anni, nemo propositiones has Metonymicas affirmabit. Sunt
 enim nihil aliud quam Metonymicæ explicationes. Si itaque & in
 hac propositione, HOC EST CORPUS MEUM, Metro-
 nymicæ explicatio concedenda esset, tum prius probanda in pane
 Metonymia, & monstrandum, Christum in Institutione per Me-
 tonymiam panem pro corpore sumfisse, & pro declaratione Me-
 tonymicæ verba hæc (Panis est corpus, vinum est sanguis) Hunius
 subiecisse, quod in æternum non demonstrabitur. Christus enim, de S. cœna
 ut utar verbis præceptoris, non molitus est aliquam sive Gramma-
 ticam

ticam five Rhetoricam resolutionem more Pædagogorum in scho-
lis, qui cum Autores explicant pueris, ostendunt eis tropos, osten-
dunt figuras, resolvunt orationem in suas partes &c: juxta præcep-
tiones artium. Multo vero minus tali prædicatione Metonymica
usus esse putandus est, cujus genus nullibi locorum, librorum aut
genrium reperitur, præterquã in Calvinistarum Theologia. Atque
hoc modo, in quo confidebat hostis, incidimus, & quidem eodem
gladio, quo ipse accinctus, nostris membris vulnera minitabatur.

Nullus porro momenti est, quod nobis hic objectant Re-
gulam Aristotelicam: Memoriam tantum esse absentium, itaque
ejus in loco præsentiam non concedendam, cujus memoria in eo-
dem sancitur. O vanissimum Sophistarum Elogium. Loquitur
enim Regula hæc de absentia temporis, quia memoria tantum sit
præteriti. Num propterea rem Præsentem in loco negat, cujus sit
memoria? falsum, absurdum & contra mentem Philosophi est.
Imo manifesto cum scriptura pugnat. Paulo alius pensitentur, quæ
supra posuimus: Promisit D E V S memoriam sui, conjunctam
cum præsentia: In omni loco, in quo meminisse fecero. nominis
mei, veniam ad te. Quæ promissio in novo fædere repetita, ad con-
summationem usque seculi duratura est. Vbi perspicua est indica-
tio, memoriam sanciri præsentis, contra vitiosum Regulæ hujus
usum.

Mandavit autem H O C F A C E R E, hoc est, ore su-
mere panem ac vinum, qui benedictione divinâ sunt corpus &
sanguis ad usum vltiorem spirituales, nempe in sui recordatio-
nem & memoriam, & ad mortis sui annunciationem fidelem, quod
est ad fidei salvificæ incrementum exercitiumque. Quo evidentis-
simè distinguitur inter substantiam Sacramenti, duabus rebus, ter-
renâ, pane & vino, & cœlesti, corpore & sanguine Christi constan-
tem, & inter usum seu finem spirituales, quæ alias manducatio
spiritualis nuncupatur: In præcedentibus enim, hoc est corpus,
hic est sanguis, Essentia describatur: his vero verbis posteriori-
bus usus & fructus salutaris, ut ita sciamus & profiteamur, corpus
& sanguinem Christi, in mysterio realiter & verè sumpta & hausta,
credentibus hoc operari, ut Christus sit in nobis & nos in Christo.

Quare si quis D E V M timer, si quis suæ animæ & verè sa-
lutis cura tangitur, si quis mente captus non est, si quis civili tan-
tum honesta eâ mendacio abhorret, illum, illum, inquam, hor-
tor, obsecro, obtestor, ut ista, quæ nos demonstravimus, pluraque
plu-

pluribus in præceptorum nostrorū libris, qui in manibus omnium
sunt, demonstrata apud animum reponat, consideret, perpendat.
Nos enim per gratiam Christi ad dextram scripturæ stamus, nos
rationem captivam ducimus in obsequium Christi, nos juxta præ- *lib. 5. de*
ceptum Hilarij, ex verbis scripturæ sensū sequimur, ex sensu ratio- *Trin.*
nem, & ex ratione veritatem apprehendimus. Vbi contra adver-
sarij nil nisi Sophismata, argutias, strophas, objectant, illisque mul-
tos ad æternum exitium præcipitant. Etenim ad seductionem nati,
ad depravationem educati, ad deceptionem informati, similes
Hydræ multorum capitum, quorum aliquot ex cisis, totidem con-
tinuo renascerentur, quæ tandem ab Hercule sagittis & igne in- *In Erum-*
terfecta est, inde Virgilius: Proxima lerneam ferro & face contu- *nis Hercu-*
dit Hydram. Cujusmodi Sycophantas Andromade apud Euripidē, *lis.*
quam scelerate Menelaus deceperat, egregiè describit. Cum enim
confugisset ad aras, ne a Menelao interficeretur, jubet ille adferre
infantem, filium Pyrrhi & Andromades, jubetque eam, ab ara dis-
cedentem, redire ad percussorem, quod nisi faciat, minatur, se fi-
lium ipsius interfectorum. Hic generosa mater, filij salutem & vi-
tam anteponens suæ, discedit ab ara. Postquā igitur ad percussorem
redit, insultat Menelaus deceptæ mulieri, te, inquam, ait, ego qui-
dem interficiam, sed infantem filia mea perdet. Hic illa justo &
ingenti dolore affecta exclamat: O dignissimi odio Spartani, &
execrandi ab omnibus hominibus, dolosi, mendaciorum archi-
tecti, flexiloquas ambages captantes, aliud sentientes, aliud lo-
quentes, male pereant. O vanissimum Sophistarum Elogium.
Quid, inquam, rectius, quid verius dici posset in adversarios? qui
tot multos homines verborum lenocinijs, mangonisatione, κα-
πυλίσια glossis & strophis suis à veritatis cœlestis tramite abducunt,
& secum in æternum exitium præcipites dant. Verum enim verò
quo Sophistæ nostro seculo sunt plures & insidiosiores, plura illis
capita, hoc est, sophismata, argutiæ, cavillationes, doli, fraudes,
eo majore odio eos persequi & cum Andromade Euripidea exe-
crari, istisque resistere nos decet. Quid igitur hîc faciendum? Her-
culis conbium contra has Hydras imitemur: Igne Iehovæ &
flamma Spiritus Sancti monstra ista crememus & comburamus.
Sagittis Herculis, fundamentis ex Sacrarum literarum fontibus
petitis, contra ista uramur, hisque contra pugnemus, & omnia
istis capita putridæ falsitatis tangamus, opprimamus, interima-
mus.

Rejēctis itaque Sophistarum Strophis & Sophismatis,
Rector Magnifice, Reverendi, Præstantissimi Domini præcepto-
res, Quirices nobilissimi, corona studiosorum excellentissima,
audivitis, quod in sacrosancta Domini cœna nobis, non nudus pa-
nis, non nudum vinum; sed panis, qui sit corpus Christi, & vinum,
quod sit sanguis Christi proponatur, & dispenseretur, quando nem-
pe Elementa hæc, Panis & vinum mysticè & modo inexplicabili
unita sūt cum corpore & sanguine Domini, ad hoc, ut manducen-
tur ac bibantur: atque Panis quem frangimus sit revera communi-
catio corporis Christi, & poculum benedictionis, cui benedicimus,
sit communicatio sanguinis Christi. Hæc simplici fide teneamus,
& hujusmodi cogitationibus occupemur pij, ne disputationibus
argutis turbemur, sed quæ, offendiculis rationis remotis, religio-
nem hanc afferant, & æstimationem eorum quæ proferuntur; Pa-
nem in mensa Domini esse corpus Christi, & vinum in eadem
mensâ esse sanguinem Christi, nosque vera fide illa sumentes arctis-
simè cum Christo uniri, ita ut Christus in nobis, nosque in Chri-
sto maneamus. In qua unione Christus Iesus Redemptor & ser-
vator noster in illa die, qua veniet in gloria majestatis
suae nobis singulis coronam immarcescibilem justi-
tiæ gloriæque æternæ cum omnibus electis &
beatis conferet.

D I X I

li
a
i
s
o
a
m
f
i




44 $\frac{5}{26}$

(X 2010054)

22.





IO

ORPO

VINIS CHRI.

ta Coena,

ia.

N INCLYTA

ACADEMIA PV.

emb. habita

MARTINI,

Sax.

RGÆ,

ij Mulleri,

XCVI.

